

00

Kt

g.c. 132

vgl. an Id 2087

Theol.

IV. C. 3.

VESTIGIA MESSIAE

IN SCRIPTIS

IOSEPHI ATQVE PHILONIS

LVSTRAT PRAEFATVRQVE

ORATIONI

EX LEGE

SERENISSIMAE FAMILIAE

SCHOENAICHIANAE

D. XII. IULII HORA XI. MATVTINA

HABENDAE


ABRAH. PHILIPP. GOTHOFRED. SCHICKEDANZ

V. D. M. FRIDERICI ANI Rector.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,





Auctor famosi libri, qui inscribitur *evangile du jour*,
sibi visus est fidem historiae euangelicae labefactare
atque peruertere, quum innumeris aliis obtre-
stationibus malevolentissimis, tum ea, qua dixit,
tantum abesse, vt aeuo Seruatoris optimi nostri Messias fuerit
exspectatus, vt neque apud IOSEPHVM neque PHILONEM ex-
spectationis huius vltum vniquam vestigium reperiatur. (a) Hanc
calumniam putauit esse veritatem maximi momenti. Quam ob
rem operaे pretium nos sperauimus facturos, si illam sententiam
diligentius examinaremus, et, quam parum veritatis in ea inesset,
breuiter ante lectorum oculos poneremus.

Et de IOSEPHO quidem dicendum est prius, quoniam
eius aetas in ea tempora incidit, quibus dogma de Messia pro-
missio ab omnibus Iudeis paulo accuratius considerandum erat.
Natus enim non ita multo post Christum mortuum, superstes fuit
euersioni patriae vrbis. Quae res, si vniquam alia, et illum et

(2) cete-

(a) Ajoutons encore l'importance vérité à ces vérités historiques, c'est que ni Ioseph ni Philon ne font en aucun endroit la moindre mention de l'attente d'un Messie. *Evangile du jour* P. VII. p. III.

ceteros Iudeeos impellere potuit ad istam veritatem diligentiori examini subiiciendam. Mirum propterea maxime esset, si Iosephus, peritissimus vir et antiquitatis et religionis suae, ne verbo quidem Messiae meminisset. Agite igitur, periculum faciamus, an possimus aliqua huius rei vestigia apud scriptorem illum reperire, ut, quae eius sententia sit, intelligi possit.

Fatetur equidem, non liquere ex Iosephi libris, quid auctor iste de Messia senserit. A quo nullum vsquam oraculum V. T. explicitum inuenio de Seruatore generis humani. In *Ant. Iud. L. X. C. XI. §. 7.* (ed. Haverc.) Iosephus summis laudibus effert Danielem, quem e vacum maximis vnum fuisse praedicat, quem sempiterna frui memoria dicit. Ibi illius praedita de fine Persici regni, de Antiocho Epiphane, deque Romanorum imperio commemorat Iosephus. At, quod in primis illi fuisse memorandum, vaticinium illud Danielis de Messia, qui Iudeorum reipublicae atque disciplinae mosaicae finem facturus erat, sicco transit pede, in eoque tantum, vti deinceps videbimus, Vespasianum imperatorem inuenit. In libro II. contra Apionem plurimus Iosephus est in Mosis honorem, multus in extollenda ornandaque patria religione. Nullum ibi verbum de Seruatore quodam promisso, nullum de summo illo propheta, quem cecinit Moses *Deut. XVIII. 15.* Hinc meo quidem iudicio intelligere licet, Iosephum hocce Mosis vaticinium non exposuisse de Messia.

Etsi autem Iosephus suam de Messia sententiam alto prescit silentio: dantur tamen alia huius exspectationis vestigia passim in eius scriptis reperiunda. Sub idem tempus; quo Optimus noster Seruator coelo demissus, inuisere terram nostram coepit, Pharisaei, teste Iosepho A. I. L. XVII. C. II. §. 4. Romanorum iugum nolentes subiectis ceruicibus ferre, nouum quemdam regem Iudeis fore praedicebant, in cuius verba iurarent. Regi huic summam potestatem tribuebant, namque in eius manibus omnia fore, immo eunuchis conciliaturum esse vires, liberis operam dandi. Quum scilicet Herodes M. iam ultimum aetatis suae ageret lustrum, quum uniuersa Iudeorum natio, vti Iose-

Iosephus l.c. refert, iurasset, se Caesaris regisque rebus fuituros esse: ii (Pharisei) non iurarunt, quum essent supra sex millia, quumque eos rex multasset, Pherorae coniux multam pro iis soluit. Pro quo beneficio, ut ei gratiam referrent, (credebantur enim futura praescire ex adflatu diuino) fore praedixerunt, ut Herodes eiusque progenies Dei decreto imperium amitterent, idque ad eam et Pheroram, eorumque liberos deferretur. Atque haec regi, nam Salomon non fugiebant, nuntiata erant, et aulicorum nonnullos ab iis corruptos esse: quam ob rem rex Phariseorum nocentissimos interfecit et Bagoam spadonem, et Carum quendam regis pusionem, eo tempore pulchritudinis primas tenentem. Necauit etiam ex sua familia omnes, qui cum Phariseorum dictis consenserant. Ήρω δε Βαγαος ὑπ' αὐτῶν, ὃς πατηρ τε καὶ εὐεργέτης δούμα θησαυρούς, τε ἐπικατασαθησόμενος προρρήσει βασιλεώς, κατὰ χειρα γαρ ἐκείνω πάντα ἔναι, παρέξαντος αὐτῷ γαμου τε σχυν, καὶ παιδωσεως τενιν γυναικον. Fuit autem per eos elatus Bagoas, quod pater, et εὐεργέτης (dynastae scil. titulo) appellandus esset, quum rex ex prædictione creandus (omnium enim rerum illum habiturum potestatem) vires ad nuptias ineundas, propriisque liberos gignendos sit conciliaturus. (b) Phariseos hic oracula prophetarum de Messiae regno in futurum istum regem detorsisse, nemo non videt. In primis eos vaticinium Iesiae de eunuchis, quibus nomen liberis praestans promittitur cap. LVI. 1—5. ob oculos habuisse, censet H A V E R C A M P I V S in notis ad hunc Iosephi locum. Quum igitur illi homines eo ipso tempore, quo optimus Seruator in nostras prodiit auras, magni cuiusdam regis iam nascendi spem facerent: quum vaticinia de Messia agentia huic regi accommodarent: profecto tum Messiam exspectasse censendi sunt. Haec exspectatio potentissimi regis plurimos tumultus ciuit in Iudea. Mortuo enim Herode M. Iudeorum quemque incessit regnandi cupidus, vid. Iosephus de B. I. L. II. C. IV. §. I. Iam omnes patriis legibus se viuere cupiunt, ut idem auctor refere de B. I. L. II. C. II. §. 3. et A. I. L. XVII. C. XI. §. I. Romani quidem praetoris administrationem non detrectant, at id in speciem tantum.

)(3

Re

(b) Ita posteriora verba reddidit, egregieque explicit S. V. atque doctissimus SCHVLZIVS in elegante disserit. de Iuda Galilaco §. X.

Re ipsa nullum sibi regem a Romanis constitui voluerunt, hunc regem ipsi sibi creaturi, quem iam ipsos in libertatem vindicatum esse sperauerunt. Hinc ea tempestate tot plani improbissimi extiterunt, qui rerum maiorum desiderio, regnandi cupiditate ducti (ἐπιθυμίᾳ μείζοναν πραγμάτων καὶ ἡλώτει βασιλεία της) obuios quosdam secum abducabant, diademat sibi imposto, omnia ferro flammaque miscebant. Longum est, ne quisimos hosce homines enumerare. Adeat, qui eos nosse volet, Iosephum, qui eorum catalogum pertexuit in commentariis suis de B. I. L. II. C. IV. et A. I. L. XVII. C. X. Tantus tum furor, inquit, per totam gentem graffabatur, eo quod domesticum regem non haberet, (βασιλέα εἰκόνα) cuius iusto fortique imperio multitudo regeretur, qui vero alienigenae (ἄλλοφοι) ad castigandos seditiones venerant, malum potius exacerbarent, graues superbia simul et auaritia. Ita maximo tum desiderio domestici regis Iudei adficiebantur, hinc tanta malorum Ilias. Ecquis credit, Iudeos deceptoribus hisce, hominibus abiectionis fortis (tales sisit eos Iosephus) habuisse fidem, nisi in spem melioris conditionis erexit, liberatorem quemdam praestolati fuissent!

Non tacébimus, quae de vaticinio quodam in sacris Iudeorum monumentis reperto Iosephus tradit de B. I. L. VI. C. V. §. 4. ὡς πατα τον καιρον ἐκενον εἰπο της χωρας της αὐτων ἀρξει της οἰνοπενης. Oraculum hoc ambiguum dicit, id maxime ad bellum contra Romanos Iudeos sollicitauisse putans, ut qui illud quasi sibi proprium acceperint. Significabat autem oraculum, ait, *Vespasiani principatum, qui in Iudea declaratus est imperator.* Notatus propterea Iosephus est a viris doctissimis, qui patriae religionis adeo rudis, oraculum illud non ad Messiam, sed Vespasianum imperatorem pertinuisse putet. Enimuero Iosephus loquitur de euersione Hierosolymorum. Hanc cladem Iudeorum dicit a Deo omnibus modis fuisse praemonstratam, non signis solum, sed et vaticiniis. Testem citat Danielem, ut iam obseruauit RELANDVS ad haec verba Iosephi: siquidem Iudei etiam post Antoniam dirutam templum quadratum fecerunt, quem in oraculis scriptum haberent: tunc fore, ut capiatur urbe et templum, ubi templum quadratum formam acceperit. Quem Daniel iam paul-

paullo maiora canens cecinit imperatorem, (כִּי) C IX. 25. 26. quem ille praedicit vrbum templumque euerstorum fore, eum dicit Iosephus fuisse Vespasianum. נָגֵד iste (graece ἡγουμένος) praedicitur ἀπόξειν της ὁμηρευτικής, id est, ex sententia Iosephi, Iudea potiturus. Id propterea significabat, ut inquit noster, ἡγεμονίαν Vespasiani, ἀποδειχθέντος ἐπι τελείωσις αὐτοκράτορος. Quare statim subiicit: sed enim homines fatum vitare non possunt, etiam si id praeuiderint. Non criminamur igitur Iosephum, quod oraculum hoc ambiguum dixerit, quum et inter nostros tantae de illo lites sint, nuper compositae per duumūrios doctissimos MICHAELEM et HASSENCAMPIVM; neque miramur, Iudeos in eo explicando multum laborasse, quum sine dubio vix ac ne vix quidem persuadere sibi potuerint, fore, ut Messias per imperatorem romanum ipsorum vrbum opulentissimam diuendam curaret. (c) Ac de Iosepho quidem diximus.

Iam de PHILON E. Et hunc virum, cetera acutissimum, in ea re inuenio caecutire. Quod argumento est, quam verbi diuini recta intelligentia iam tum fuerit obscurata, et corrupta. Nam talem Messiam, qualem iam promiserat Deus, qui homines verum Dei cultum edoceret, eosque a peccatis liberaret, talem, inquam, non expectauit Philo, quantum ex eius scriptis colligere licet. In libro, cui titulum dedit, *de mundi opificio*, nec non in libris suis allegoriarum fusius persequitur historiam Mosis de corruptione generis humani. At nullam ibi mentionem facit de Seruatore promisso, salutisque nostrae restituente; quamquam non is est, qui primi delicti grauitatem neget, corruptionemque nostram quocumque modo extenuet. En verba quaedam Philonis! *Debuerat humanum genus, si poena par culpae luenda esset, omnino deteri, quod tam ingrati animi crimen subfisset; at Deus suopote ingenio clemens, miseratione vindictam moderatus est, genus quidem manere sinens, viatum autem non aequa arque antea spontaneum præbens, ne duobus malis accedentibus, otio saturitateque, proni*

(c) Quum Iosephus vaticinum Danielis ad Vespasianum traxit: quum illud iam impletum fuisse censuit: id nobis caußae esse videtur, cur in scriptis suam de Messia sententiam filuerit. Forsan in Scepticorum castra transiit, forsan dubitauit, vtrum Messias venturus esset, nec nē?



proni ad vim et peccatum fierent. (*Opif. M. Opp. T. I. p. 41. ed. Mag.*) Seruatorem, quem Deus humano generi largitus est, dicit esse virtutem, Sic *allegor. L. I. Opp. T. I. p. 52.* miseratus nostrum genus, et conspicatus, id plurimis referum vitiis, virtutem terrestrem radicauit, quae animi morbos depelleret, ad imitationem coelis et primigeniae. Neque in illustri illo vaticinio, quo quondam Moses prophetam sibi parem cecinit, Messiam vidit Philo. Iudeis scilicet interdixerat Moses variis diuinandi artibus, ut haruspicina, sortilegiis, ceterisque diuinationibus. At quum hominibus a natura insitum praenoscendi futura desiderium sit: quum propterea multi ad vanas illas artes se conuertant: simul docet Moses, ut Philo inquit, non defore pietatis verae cultoribus futurorum praescientiam; sed exoriturum REPENTE (ἐξαπίνως) prophetam quendam, qui vaticinetur correptus numine. Sic *Philo Monarch. L. I. Opp. T. II. p. 221. 222.* Quis igitur non videt, Philonem hocce Mosis vaticinium ad Iosuam, certosque prophetas illum subsequutos traxisse?

Itaque Philo non talem quidem Messiam speravit, quam iam praestolari debuisset; attamen non omni spe destitutus est. Spem suam prodidit in libro de execrationibus Opp. T. II. p. 435 — 437. Sic ille: *Si qui has castigationes,* (dixerat Philo de poenis, quibus obnoxii sunt iustitiae pietatisque legum contemtores) *non ut ad perniciem, sed ad emendationem incitantes acceperint, pudoreque moti toto conuertantur animo, seque erroris incusauerint, palam enarrantes, et confitentes quidquid deliquerint: pri- mum intra se mente purgata, ad conscientiae veracitatem et sinceritatem, deinde lingua, ad aliorum emendationem, veniam consequentur apud Deum seruatorem et propitium: qui generi humano hanc eximiam gratiam et maximam largitus est, cum verbo suo cognationem, ad cuius similitudinem facta est hominis anima.* Nam vel in extremis oris terrae seruientes eis, a quibus captivi abduci sunt, (ἀστερ ἀφ' ἐών συνθηκατος) velut signo dato uno die liberabuntur onnes: eorum ad virtutem conuersione unanimi terrorum dominis incutiente. Dimittent enim eos, non ausi dominari melioribus. Tum vero potiti hac inexpectata libertate, qui antea dispersi fuerant per Graeciae Barbariaeque continentes terras et insulas uno impetu adsurgententes,

ad

155556

AB 155 556

X2613390

l

Farbkarte #13



IA MESSIAE

N SCRIPTIS

ATQVE PHILONIS

PRAEFATVRQVE

ATIONI

EX LEGE

SIMAE FAMILIAE

NAICHIANAE

I HORA XI. MATVTINA

HABENDAE

GOTHOFRED. SCHICKEDANZ

FRIDERICIANI Rector,



OFVRTI AD VIADRVM

S CHRISTIANI WINTER I,